Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31444
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">>

illud homine que tam longe quesiuimus
et investigauimus

Q. necesse est quod ille nouus homo
tam pretiosus detur humane nature
modo conuenientissimo

Et quoniam declaratum est iam quod necesse
est quod iste homo sit postea deliberatus
ad deum. Et ideo ordinauit quod deus fecit opat.
ad honorem sue potentie sapiencie et bonitatis
et ad utilitatem creature rationalis et hominis. Et
ideo necesse est quod det illum nouum hominem talem
quod sit honor sue pietatis sapiencie et bonitatis
et sit summa utilitas humane nature. Post quam
enim ipse apposuit manum necesse est quod fiat ita
Et quanto istud est maius bonum quod deus possit
facere humane nature et ideo necesse est quod fiat modo
conuenientissimo egregiissimo et sapientissimo
quia isto modo deus opat. ut declaratum fuit in
capitulo de honore. Et ideo possumus arguere
quod sicut deus preparauit istum mundum propter homines
et ut esset conuenies ad suscipiendum homines
et eam preparauit et disposuit corpus humanum
ut esset conuenies et preordinatum ad suscipiendum animam rationalem ad sua magnificentia
Item similiter preparabit et disponet naturam humanam et homines ut sint conuenientes ad suscipiendum iustum hominem. Quemadmodum sicut
primus homo se habebat ad totum mundum in
quo suscepti est et anima ad corpus in quo suscepti
est. Et se habebit iste homo ad totam naturam
humanam et ad omnes homines quia iste homo debet
suscipi ab hominibus et dari nature humane
Et ideo sicut primus homo erat sup omnes creaturas
ita iste homo oportet quod sit sup omnes
creaturas. Et ideo quia natura humana debet
suscipere istum hominem tamquam summum indigens
eo necesse est quod talis disponatur et preparetur
natura humana et talis primo disponat eam
ut sit capax et sit apta et conuenies et sit in
ea capacitas ad suscipiendum istum preciosissimum hominem. Et ideo oportet quod homines primo
cognoscant suam nouitatem et summam indigentiam
et cognoscant se summe indigere isto homine.
Et oportet quod primo antequam deus dedit istum hominem
quod sit summe desideratus et expectatus ab hominibus tanquam summe nouitatis et summe boni
Aliter non esset capacitas in hominibus quia appareret hominibus quod esset superfluum. Ideo oportet
quod primo antequam appareat sit promissus a deo et
reuelatus et manifestatus vt homines cum
certitudine et credulitate firmissima iam
spectent et desiderent. Et ideo necesse est quod aliquis
homines precedant aduentum istius hominis necessarium quibus deus reuelet et manifestet
istum nouum hominem et quibus promittat eum
et per eos promittat eum toti humane nature.
Et ideo oportet quod deus tales homines disponat et preparat vt sint apti et conuenientes
ad hoc. Et quia ista dispositio et preparatio debet esse successiua et paulatim procedendo
de imperfecto ad perfectum et de minori ad
maius et semper debet crescere donec
facta sit plena et sufficiens capacitas
et dispositio ad suscipiendum. Et ideo oportet
quod genus talis disponat genus humanum
per multa tempora paulatim donec sit in natura
humana completa capacitas ad suscipiendum
istum hominem preciosissimum vt scilicet deus
magis ac magis iam reuelet et manifestet et promittat et paulatim magis
ac magis homines iam desiderent et sic
fiant magis ac magis capaces quia tanto
beneficium quo nullum est maius requirit ut
promittatur prius et credatur firma fide et
promissum spectetur et spectatum differatur et
dilatum amplius desideretur et dum desideratum
cum feruencia ametur et gratanter suscipiatur
Et quia in isto homine natura que diuina gratia
debet assumere humanam et carnem ac animam
et hoc debet fieri in muliere virgine sine
patre. Et ideo oportet quod vna mulier sic
disponatur a deo vt sit conuenies et apta
et digna vt que illa assumatur illa preciosissima caro et formetur illud preciosissimum
corpus quod debet vnari cum deitate et
cum persona filii dei in vnitate personne et ideo
due sunt preparationes in humana natura
ad suscipiendum talem hominem quo
indiget et quem deus proposuit dare. vna
dispositio et preparatio est quo ad homines
vt sint apti ad suscipiendum eum Alia est
quo ad carnem suscipiendam vt sit digna
vnari cum deitate. Et ideo propter istas duas
dispositiones et preparationes fiendas oportet
quod deus assumat vnam personam et vna
pterea de tota humana natura sicut quod assumat